

www.libtool.com.cn



2t6.518



Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND.

Established by Professor E. A. SOPHOCLES of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books (the ancient classics) or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." (Will, dated 1880.)

Received 24 Dec., 1889.



www.libtool.com.cn

www.libtool.com.cn

DE DUM DONEC QUOAD PARTICULARUM USU APUD TERENTIUM.

COMMENTATIO

QUAM

PERMISSU

MAX. VEN. CONSISTORII HERNÆSAND.

IN PUBLICO DEFENDET

ESAIAS LALIN

PHIL. DOCTOR, AD SCHOLAM NORRCOP. ADJUNCTUS

A. D. VIII. ID. MAJ.

H. A. M. S.




3

NORRCOPIÆ

TYPIS EXSCHIPSIT CONSORTIUM ACTOR. DIURN. NORRCOP.
MDCCLXXXVIII.

www.libmof.org.cn 276.518



Constantius Fund.

Nostra ætate quicumque Græcarum et Latinarum litterarum studia amplectuntur, in eo videntur consentire harum linguarum grammaticas tum demum perfectas et omnibus numeris absolutas fore, quum priusquam de toto sermone in universum leges conscribantur, diligenter investigatum fuerit, quem usum, quam dicendi rationem singuli scriptores secuti sint. Quæ res quum multorum manus et oculos desiderare videretur, ego quoque, quantum potui, huic rei operam meam dare volui, ob eamque causam quum jam aliquot annos in fabulis Terentii legendis versatus essem, opusculum, si possem, de syntaxi Terentiana conscribere decrevi. Ac scripta Terentii præ ceteris digna esse existimavi, quæ a me tractarentur, primum quod scriptor ille antiquioris ætatis esset ob eamque rem apud eum nascentis usus prima vestigia etiam nunc exstarent, deinde quod oratio ejus non raro ad aureæ ætatis orationem quam proxime accederet. Quum autem jam ad opus adgrederer, reperi viros doctissimos de syntaxi Terentiana multos libros atque eos præstantissimos conscripsisse. Quæ quamque multa de his rebus scripta essent, ut perspiceretur, non alienum esse putavi hoc loco eos libros enumerare, quibus legendis equidem cepi magnam et utilitatem et delectationem.

Omnium primum afferam præstantissimum opus *Holtzii* ¹⁾, quo tota syntaxis priscorum scriptorum latinorum tractatur, qui liber iis, qui his scriptoribus operam dant, optimum præbet auxilium. Deinde nonnulli non de tota syntaxi, sed de singulis partibus ejus separatim scripserunt. Ita vero *Liebig* ²⁾ de genitivi usu, *Heinrichs* ³⁾ de ablativi usu, *Schæffer* ⁴⁾ de præpositionum usu separatim scripserunt. Ita autem de enunciationibus conditionalibus dissertationem scripsit *Liebig* ⁵⁾. Ita vero de usu particularum temporalium scripsit *Gröhe* ⁶⁾, quo libro omnes conjunctiones temporales tractavit particulis *dum*, *donec*,

¹⁾ Holtze, Syntaxis priscorum scriptorum latinorum usque ad Terentium. vol. 1—2, Lips. 1861—1862.

²⁾ Liebig, De genitivi usu Terentiano, Oels. 1853.

³⁾ Heinrichs, De ablativi apud Terentium usu et ratione, Elbing 1859.

⁴⁾ Schæffer, Commentationis de usu præpositionum Terentiano part. I, Stendal 1848, quo libro *ab*, *ex*, *de*, *ad*, *in* præpositiones tractantur. Alteram autem partem hujus operis non inveni.

⁵⁾ Liebig, Die hypothetischen Sätze bei Terenz. Görlitz 1863.

⁶⁾ Gröhe, Quæstionum de usu Terentiano particularum temporalium pars prior. Vratislav. 1867.

quoad exceptis. Quam dissertationem quum perlegissem, non inutile fore putavi, si quod doctissimus ille vir infectum reliquit ad finem perduxissem. Quo factum est, ut hoc opusculum conscriberem. Quum opusculum meum absolvere atque conficere vellem, forte accidit ut egregiam Richardsonii ¹⁾ dissertationem cognoscerem, qua nos de dum particulæ usu docet. Quam dissertationem si prius cognovissem, fortasse libellum meum non conscripsissem, sed quum jam antea omnia exempla coegissem et in ordines classesque redegissem, a proposito desistere nolui. Cur ita fecerim, duas causas atque eas optimas habeo, primum quod doctissimus ille vir non eodem modo atque ego rem propositam tractavit, deinde quod de donec et quoad particulis nihil docet. Quæ quum ita essent, rem jam inchoatam ad finem perducere decrevi.

¹⁾ Richardson, De dum particulæ apud priscos scriptores Latinos usu, Leips. 1886.

DUM.

I.

Cogitanti mihi, quæ qualisque sit hujus particulæ prima origo, Richardson recte docere videtur, quum in libro supra laudato dicit dum particulam e radice pronominali esse ortam. Quæ quum ita sint, ex eo apparere videtur particulam illam primaria notione adverbium esse demonstrativum. Quum vero omnes fere viri doctissimi consentiant notiones temporales ex localibus omnino esse ortas, ex eo concludere liceat dum quoque particulam antiquissimis temporibus localem habuisse significationem, e qua orta est notio temporalis, quæ etiam nunc apud Latinos scriptores invenitur.

Transeo igitur ad usum adverbialem describendum, quo dum particula adverbium est demonstrativum temporali notione. Primum quidem exempla inveniuntur, in quibus dum adverbium per se usurpatur. Cujus usus quamquam apud Terentium nullum invenitur exemplum, hoc loco fortasse non alienum esse videtur commonefacere. Cujus usus Richardson tria exempla affert, e quibus mihi liceat unum afferre e Mercatore Plautina (v. 348): *tantus cum cura meos error animo: Dum servi mei perplacet mihi consilium, Dum rursum haud placet*, quod Richardson recte interpretatur: »Die Weile gefällt mir sehr der Plan meines Sklaven, die Weile wieder nicht«. E qua interpretatione apparet duo membra hujus exempli enunciationes principales ejusdem momenti ac ponderis esse et dum particulam utroque loco adverbium esse demonstrativum temporali notione, ob eamque rem ex eo exemplo facile intelligi potest, quæ qualisque sit ea dicendi ratio, quam vocant *parataxin*. A qua dicendi ratione ad perfectum *hypotaxeos* vel subordinationis statum non recta via, sed per *correlationis*, quæ vocatur, condicionem pervenimus. Cujus correlationis Richardson tria exempla protulit, e quibus unum afferam ex Catullo (LXII, v. 45): *virgo dum intacta manet, dum cara suis est*, quod Richardson recte interpretatur: »die Weile das Mädchen unberührt bleibt, Die Weile ist sie den ihrigen lieb«. In quo exemplo particula prior notionem relativam, posterior demonstrativam habet. A qua correlationis condicione pervenitur ad perfectum *hypotaxeos* statum, quum prior enunciatio jam subjuncta suam particulam conservat sensu relativo, in posteriore autem enunciatione, quæ majoris est momenti ac ponderis, particula altera omittitur, quo factum est ut dum particula paulatim *conjunctio* evaderet. Hæc e dissertatione Richardsonii deprompta attuli, ut ostenderem, qua via et ratione significatio adverbialis hujus particulæ in significationem conjunctionalem transiret.

Jam ad exempla transeo, in quibus dum particula non ipsa per se usurpatur, sed cum aliis voculis conjungitur, atque id quidem sæpe tam arcte, ut prope enclitica sit particula. Quo usu particula sæpe temporalem notionem, nonnumquam etiam demonstrativam vim retinere videtur, ita ut dum particulam *ad hunc temporis terminum usque*, *adhuc* latine interpretari possimus. Jam singula vocabula inspiciamus, quibuscum dum particula ita conjungitur. Primum quidem afferam exemplum, ubi dum cum *etiam* particula conjungitur ita, ut e duabus voculis exsistat quasi unum verbum *etiam dum*, quod est *adhuc*, Heaut. 229 *neque etiam dum scit pater*¹⁾. Ita vero dum cum adverbio *qui* interrogativo conjungitur, ut fiat *qui dum*, quæ locutio duobus locis (Eun. 273, Hec. 319) invenitur. A quo usu non multum abesse videtur ea dicendi ratio, quum dum particula cum voculis quibusdam ita componitur, ut re vera unum existat verbum, atque id quidem singulari et nova utens significatione. Quale verbum est *interdum*, quod apud Terentium tribus locis (Hec. 307, Adelph. 216, Eun. 368) invenitur. Aliud autem verbum est *dudum*, quam voculam Richardson e conduplicato dum esse ortam recte docet. Quamquam non parvi momenti esse videtur accuratius exempla inquirere, ubi illud adverbium invenitur, tamen ea prætereo, primum quod justo longius a proposito aberrare nolo, deinde quod Richardson de hac re satis copiose ac diligenter dixit.

Deinde ad exempla transeamus, ubi dum particula cum verbis quibusdam negationis conjungitur. Ita dum particula cum verbo negationis *non* conjungitur, ut e duabus voculis exsistat quasi unum verbum *non dum*, ut Andr. 340 *non dum hæc rescivit mala*, ibid. 659 *non dum scis*. Phorm. 147 *non dum* ibid. 492 *non dum mihi credis*. Exempla vero inveniuntur, in quibus cum *non dum* voculis conjungitur *etiam* particula, ut Hec. 745 *non dum etiam dixi id quod volui*. ibid. 192. *quid egerint inter se non dum etiam scio*. A quo usu ea dicendi ratio non multum abesse videtur, quum dum adverbium cum *an non* particula interrogativa conjungitur, sive in obliquis sive in rectis interrogationibus est posita. In obliqua interrogatione *an non dum* vocalæ inveniuntur Phorm. 445 *vise redieritne jam an non dum domum*. In rectis autem interrogationibus illæ vocalæ nonnumquam usurpantur, atque eæ quidem cum *etiam* particula conjunctæ, ut Andr. 201 *an non dum etiam ne hoc quidem*, ibid. 807 *an non dum etiam?* Eandem vero lectionem Fleckeisen conjectura statuendam censet Heaut. 596 *aut est tibi quod placeat an non dum etiam?* Ita autem dum particula cum *vix* adverbio conjungitur Phorm. 594 *vix dum dimidium dixeram, intellexerat*. Ita vero dum particula cum *ne* conjunctione conjungitur, ut fiat *nedum*, quod cum conjunctivo conjungitur Heaut. 452 *satrapa si siet amator, numquam sufferre eius sumptus queat: nedum tu possis*.

¹⁾ Versuum numeros desumpsit ex editione Fleckelsenii, Leipzig 1871.

Postremo ad exempla transeo, in quibus dum particula cum verbis in imperativo positis conjungitur. Ita vero dum particula sæpe imperativo præsentis adjuncta invenitur, ut Andr. 29 *ades dum*, ubi de usu hujus particulæ docet Spengel: Die temporale Partikel *dum*, welche sich wie in *nondum* enklitisch anschliesst, enthält den Begriff »eine Weile« und mildert den Befehl, wie auch wir durch Hinzufügung von »einen Augenblick«, »einmal«, »ein wenig«, ähnliche Imperative zu mildern pflegen ¹⁾. Ita vero cum *abi* imperativo conjungitur Heaut. 249 *abi dum tu — illis obviam*. Duobus autem locis *mane* imperativo particula adjuncta invenitur Heaut. 890 *mane dum*, Hec. 844 *mane dum sodes*, itemque duobus locis cum *dic* imperativo conjungitur Eun. 707 *dic dum hoc rursum*, Hec. 803 *dic dum quæso* ¹⁾. Quatuor vero locis cum *age* imperativo conjungitur Eun. 694 *age dum hoc mi expedi primum*. Heaut. 310 *age dum — dic*. Phorm. 784 *age dum — fac*, in quibus exemplis *age dum* vocabula cum alio imperativo conjunguntur; unum autem exemplum invenitur, ubi sequitur indicativus præsentis Hec. 315 *age dum, ad foris accedo propius*. Nonnumquam autem *dum* particula cum imperativo futuri conjungitur, ut Heaut. 550 *facito dum eadem hæc meminervis*. Phorm. 329 *cedo dum*, quæ verbi forma pro *cedito* contracta est.

Adn. A quo usu proxime accedere videtur ea dicendi ratio, quum *dum* particula cum *eho* interjectione conjungitur ita, ut fiat *eho dum*, quæ locutio eodem fere modo atque *age dum* usurpatur. Nam sicut hæc, ita etiam illa cum imperativo duobus locis conjungitur Andr. 324 *eho dum dic mihi*. Eun. 360 *eho dum dic mihi*. Uno autem loco illa locutio sine imperativo legitur Andr. 184 *Eho dum ad me*, ubi Spengel (p. 36) recte hæc docet: »An *eho*, welches nur mit einem Imperativ oder einem Fragesatz in Verbindung treten kann, schliesst sich *dum* enklitisch an. Bei dieser Aufforderung kann der Imperativ auch fehlen wie im Deutschen«. Jam ad conjunctionalem usum hujus particulæ describendum pergamus.

¹⁾ A. Spengel: Die Comödien des P. Terentius, Erstes Bändchen: *Andria*, p. 11. Berlin 1875.

²⁾ Hoc loco Fleckelsen *dico dum* legendum esse censet.

II.

Una est notio, qua per dum particulam duæ actiones, quæ uno eodemque tempore eveniunt, inter se conjunguntur atque in relatione ponuntur. Quo usu dum svetice *under det att*, germanice *während dass* vertimus, quam notionem Georges germanice interpretatur »zur Angabe der Gleichzeitigkeit zweier Handlungen oder des Eintretens einer Handlung während der Dauer einer Andern»¹⁾.

A. De dum particula cum indicativo conjuncta.

1. Primum de iis exemplis dicam, in quibus duæ actiones per dum particulam in relatione positæ tempore præsentis evenire dicuntur. Quo usu si duæ actiones inter se conjunctæ tempore præsentis exprimuntur, significatur in idem tempus ambas cadere et alteram agi et durare, quum altera perficiatur.

a) Quo usu præsens de uno temporis puncto dicitur, ut Andr. 597 *potes nunc, dum animus irritatus est*, cujus exempli in demonstrativo membro nunc particulam respondere in relativo membro dum conjunctioni observandum est. Alia exempla ejusdem significationis sunt: Adelph. 899 *occidunt me quidem, dum nimis sanctas nuptias student facere*. Phorm. 766 *nostrapte culpa facimus, ut malos expediat esse, dum nimium dici nos bonos studemus et benignos*. Quo usu enunciatio temporalis nonnumquam ad enunciationem finalem refertur, ut Adelph. 312 *ut ego iram hanc in eos evomam omnem, dum ægritudo hæc est recens*.

b) Ita vero præsens usurpatur etiam de longiore spatio ita, ut de actionibus, quæ quovis tempore fieri possunt, vel de actionibus sæpius repetitis dicatur, ut Eun. 934 *quæ dum foris sunt, nil videtur mundius*, Heaut. 240 *dum moliantur, dum conantur, annus est*, Phorm. 341 *dum tibi fit quod placet, ille ringitur*.

Adn. 1. De exemplo, cujus in primaria enunciatione invenitur conjunctivus imperfecti, pauca dicam. Tamen quæ qualisque in universum sit natura enunciationum conditionalium, prius dicendum erit. Quævis enunciatio conditionalis ex duabus partibus constat, quarum una, quæ per conditionalem particulam effertur, *sumptiva* vel *protasis* dicitur. Si autem protasi aliquid præsentis tempore fieri fingitur, quod tamen non fit, sæpissime et in protasi et in apodosi conjunctivus imperfecti usurpatur, qui conjunctivus ad præsens tempus spectat, quum sumptio, qua aliquid fieri fingitur, ad præsens tempus referatur. Interdum autem fit, ut tota protasis, quæ summptionem ficti continet, omittatur. Quæ quum ita sint tamen in primaria enunciatione conjunctivus imperfecti retinetur. Cujus usus unum exemplum invenitur Phorm. 160 *at non cotidiana cura hæc angeret animum — dum expecto*.

¹⁾ K. E. Georges: Ausführliches Lateinisch-Deutsches Handwörterbuch, 7:te Auflage, Leipzig 1879, I p. 2158.

Adn. 2. Nonnumquam enunciatio temporalis ad infinitivum præsens refertur, ut Hec. 725 *sed vin adesse me una, dum istam convenis.*

Adn. 3. Quum præsens quasi in limite temporis futuri positum sit, facile apparet etiam de futuro dici posse, præsertim si actiones exprimuntur, quæ statim ac celeriter sint perficiendæ, id quod sæpe fieri solet, quum in demonstrativo membro modus imperativus usurpatur. Cujus usus duo exstant exempla; unum, in quo legitur imperativus præsens, invenitur Eun. 763 *tu abi atque obsera ostium intus, dum ego hinc transcurro ad forum;* alterum vero exemplum, in quo legitur imperativus futuri, invenitur Eun. 595 *ventulum huic sic facito, dum lavamur.*

2. Deinde de iis exemplis dicam, in quibus per dum particulam tempora præterita conjunguntur atque in relatione ponuntur.

a) Primum de iis exemplis dicetur, in quibus inveniuntur absoluta, quæ vocantur, tempora præterita i. e. præsens historicum aut perfectum historicum. Nam quum præsens historicum, quamvis forma differat a perfecto, tamen eandem vim ac naturam habeat quam perfectum, mirum non videtur, quod hæc tempora in eodem orationis tenore inter se variant et permutantur. Quorum temporum relatione indicatur eodem tempore præterito, quo aliqua actio evenierit, alteram actionem evenisse ita, ut relativum membrum spatium significet præteriti temporis, quo actio demonstrativi enunciati evaserit. Cujus usus duo genera sunt discernenda.

a) In utroque membro præsens historicum usurpatur. Primum autem exempla afferam, quorum in primaria enunciatione demonstrativum adverbium invenitur, quod temporali particulæ respondet. ut Eun. 255 *dum hæc loquimur, interea loci ad macellum ubi adventamus, concurrunt læti mi obviam.* ibid. 572 *dum hæc mecum reputo, arcessitur lavatum interea virgo.* Phorm. 91 *interea dum sedemus illi, intervenit adolescens quidam.* Exempla autem, quorum in primaria enunciatione talia adverbia non leguntur, hæc sunt: Eun. 328 *is, dum hanc sequor, fit mi obviam.* ibid. 583 *dum adparatur, virgo in conclavi sedet.* ibid. 843 *dum ante ostium sto, notus mihi quidam obviam venit.*

β) In relativo membro præsens usurpatur, quum in primaria enunciatione legitur perfectum historicum. Primum autem exempla sunt afferenda, quorum in primaria enunciatione demonstrativum adverbium invenitur, quod temporali conjunctioni respondet, ut Heaut. 242 *verum interea, dum sermones cædimus, illæ sunt relictæ.* ibid. 257 *dum ego propter te errans patria careo, tu interea loci conlocupletasti te.* Exempla autem, quorum in primaria enunciatione talia adverbia non inveniuntur, hæc sunt: Eun. 341 *dum hæc dicit, abiit hora.* ibid. 629 *dum rus eo, cæpi egomet mecum — cogitare,* ibid. 632 *dum hæc puto, præterii imprudens villam,* ibid. 745 *dum tibi sororem studeo reddere ac restituere, hæc — sum multa passa.* ibid. 949 *perdidisti istum — dum studes dare verba nobis.* Heaut. 271 *hoc ipsa in itinere alteræ dum narrat, forte audiui.* ibid. 399 *nam dum abs te absum, omnes mihi labores fuere quos cepi leves.* ibid. 491 *somnium — oculis non vidi meis, dum id quæro.* ibid. 655 *ea la-*

vatum dum il, servandum mihi dedit. Phorm. 1006 *et inde filiam suscepit jam unam, dum tu dormis.* Hec. 800 *frustra ubi totum desedi diem, Myconium hospitem dum exspecto in arce Callidemidem.* Adelph. 541 *præterea autem, dum illum quæro, a villa mercennarium vidi.* ibid. 691 *hæc dum dubitas, menses abierunt decem.* ibid. 868 *heia autem, dum studeo illis ut quam plurimum facerem, contrivi in quærundo vitam atque ætatem meam.* Andr. 822 *dum studeo obsequi tibi, pæne inlusi vitam filia.*

Adn. Hoc loco non alienum erit admonere indicativum illum præsentis etiam in oratione obliqua interdum retineri, quum enunciatio temporalis ad infinitivum perfecti refertur, qui a verbo dicendi pendet. Cujus usus duo exstant exempla, Heaut. 16 *nam quod rumores distulerunt malivoli multas contaminasse Græcas, dum facit paucas Latinas.* Hec. 829 *dicitque sese illi anulum, dum luctat, detraxisse.*

b) Deinde quum de absolutis temporibus præteritis jam satis dictum esse videatur, ad relativa, quæ vocantur, tempora præterita veniamus, quorum in numero referri solet indicativus imperfecti. Atque imperfectum quum actionem indicet, quæ eodem tempore præterito, quo alia qua actio evenit et perfecta fuit, infecta erat, sequitur, ut illa forma aut de actionibus, quæ per longius temporis spatium durasse dicuntur, aut de actionibus, quas sæpius iteratas esse scimus, usurpetur. Cujus usus unum exstat exemplum, cnjus in primaria enunciatione invenitur indicativus imperfecti, Hec. 802 *itaque ineptus hodie dum illi sedeo, ut quisque venerat, accedebam,* in quo exemplo indicativus imperfecti potius ad indicativum plusquamperfecti quam ad indicativum præsentis in enunciationibus secundariis, quæ præcedunt, referri putandus est.

Adn. Notissimum est grammaticos docere solere dum particulam, etiamsi de tempore præterito dicatur, cum indicativo præsentis conjungi ¹⁾. Quam regulam etiam apud Terentium servatam invenies. Nam si exempla, quæ supra sunt allata, perlegentur, ubique indicativum præsentis invenies.

B. De dum particula cum conjunctivo sociata.

Quum ex iis, quæ supra sunt allata, satis apparere videatur dum particulam, etiamsi in oratione obliqua posita sit, tamen cum indicativo conjunctam inveniri, dubitari potest, num dum particula ea notione, de qua nunc dicitur, cum conjunctivo jungatur. Quæ quum ita sint, tamen puto dum particulam hac quoque notione interdum cum conjunctivo sociari, id quod nos docet Holtze ²⁾, quamquam e fabulis Terentianis nullum attulit exemplum. Cujus usus credo unum exemplum afferri posse, quod invenitur Heaut: 1058 *hæc dum incipias, gravia sunt, dumque ignores.* Quamquam non ignoro dum particulam hoc loco fortasse ita explicari posse, ut eam notionem habere videatur, de qua mox infra dicetur, tamen puto illam interpretationem, quam attuli, approbari posse.

¹⁾ De hac re vide, quæ dicit Madvig. Lateinische Sprachlehre, Braunschweig 1844 p. 296.

²⁾ Holtze, Syntaxis praeorum scriptorum Latinorum usque ad Terentium, Lips. 1862, vol. II, p. 181. Cujus usus hoc attulit exemplum: Cato R. R. c. 76 *aperito, dum inspicias.*

III.

Jam de ea notione dicendum erit, qua duæ actiones, quibus temporis spatium commune est, per dum particulam conjunguntur atque in relatione ita ponuntur, ut quamdiu altera actio ad finem perducatur, per idem temporis spatium etiam altera actio durare dicatur. Ita vero usurpatam dum particulam svecice *så länge som*, germanice *so lange als* vertimus, quam notionem Georges germanice interpretatur »zur Angabe, dass die Dauer der einen Handlung an die Dauer der andern geknüpft sei«. Quo usu indicatur finem alicujus actionis per tempus alterius actionis ita definiri, ut dum particula terminum significet, ad quem spatium temporis duabus actionibus commune producitur.

A. De dum particula cum indicativo conjuncta.

1. Primum de iis exemplis dicam, in quibus duæ actiones per dum particulam in relatione positæ per præsens tempus durare dicuntur. Quo usu indicatur, quamdiu actio relativi membri ad finem perducatur, per idem temporis spatium actionem demonstrativi membri durare. Primum afferam exemplum, cujus in primaria enunciatione demonstrativum adverbium legitur, quod conjunctioni temporali relativi membri respondet, ut Adelph. 70 *dum id rescitum iri credit, tantisper pavet*. Exemplum autem, ubi tale adverbium non legitur, invenitur Andr. 266 *dum in dubio est animus, paulo momento huc vel illuc impellitur*.

Adn. 1. Jam supra de iis exemplis diximus, quorum in relativo membro dum particula cum indicativo præsens conjuncta invenitur, quum in demonstrativo membro imperativus legitur. Ita vero dum particulam etiam ea notione, de qua nunc agitur, usurpari hæc exempla docent. Primum afferam exemplum, cujus in primaria enunciatione demonstrativum adverbium legitur, quod conjunctioni temporali respondet, Phorm. 549 *tum igitur dum licet dumque adsum, loquimini mecum*. Exempla autem, ubi tale adverbium non legitur, inveniuntur: Eun. 56 *proin tu, dum est tempus — cogita*. Phorm. 716 *et matura, dum libido eadem hæc manet*. Hec. 746 *quære alium tibi, dum tibi tempus consulendi est*. — Huc referenda esse videntur exempla, quorum in primaria enunciatione invenitur conjunctivus præsens, qui partes imperativi agit ut Heaut. 343 sq. *quod boni — datur, frui dum licet*, Andr. 556 *dum tempus datur dumque eius libido occlusast contumeliis — uxorem demus*.

Adn. 2. Jam supra exemplum attuli, cujus in relativo membro dum particula cum indicativo præsens conjungitur, quum in primaria enunciatione legitur conjunctivus imperfecti ad præsens tempus spectans. Ita vero dum particula etiam ea notione, de qua nunc dicitur, usurpatur, ut Adelph. 107 *et illum tu tuum — sineres nunc facere, dum per aetatem licet*, in quo exemplo demonstrativum adverbium conjunctioni temporali respondere observandum est.

2. Deinde exempla inspiciamus, in quibus tempora præterita inveniuntur.

a) Primum de locis dicam, ubi leguntur absoluta, quæ vocantur, tempora præterita i. e. præsens et perfectum historicum. Quorum temporum relatione indicatur eodem tempore præterito, quo aliqua actio perfecta fuerit, etiam aliam actionem perfectam fuisse. Cujus usus duo sunt genera discernenda.

α) In primaria enunciatione invenitur perfectum historicum, quum in secundaria enunciatione legitur præsens. Primum afferendum est exemplum, cujus in demonstrativo membro adverbium invenitur, quod conjunctioni temporali respondet, Heaut. 983 *et usque id egi dudum, dum loquitur pater*. Exemplum autem, in quo tale adverbium non legitur, invenitur Phorm. 76 *seni fidelis dum sum, scapulas perdidit*.

β) In utroque membro perfectum historicum legitur, cujus usus exempla inveniuntur ¹⁾: Hec. 459 *sane hercle homo voluptati obsequens fuit, dum vixit*, ibid. 594 *dum ætatis tempus tulit, perfuncta satis sum*. ibid. 837 *ego dum illo licitumst, usa sum benigno et lepido et comi*. Andr. 188 *dum tempus ad eam rem tulit, sini animum ut expleret suum*. ibid. 443 *dum licitumst ei dumque ætas tulit, amavit*. ibid. 832 *incepti, dum res tetulit*.

b) Jam ad ea exempla transeamus, in quibus inveniuntur relativa, quæ vocantur, tempora præterita.

a) In utroque membro legitur imperfectum. Quo dicendi genere indicatur quamdiu aliqua actio tempore præterito infecta fuerit, per idem temporis spatium etiam aliam actionem infectam fuisse, cujus usus unum exstat exemplum Eun. 728 *ac dum adcubabam, quam videbar — esse sobrius*.

Adn. Unum exemplum invenitur, cujus in demonstrativo membro legitur conjunctivus imperfecti Andr. 52 sq. *nam antea qui scire posses aut ingenium noscere, dum ætas metus magister prohibebant*, in quo exemplo conjunctivum imperfecti ad præteritum tempus spectare satis apparere videtur. Hoc loco non alienum erit admonere nisi in his duobus exemplis, quæ modo sunt allata, nusquam apud Terentium dum particulam cum indicativo imperfecti conjunctam inveniri. Cujus usus unum exemplum Spengel affert e fabulis Plautinis, Truc. I, 2, 83 *te dum vivebas noveram* ²⁾.

β) In primaria enunciatione invenitur imperfectum, quum in secundaria enunciatione legitur perfectum historicum. Quorum temporum relatione indicatur eodem tempore præterito, quo aliqua actio perfecta fuerit, aliam actionem infectam fuisse ita, ut aut per longius temporis spatium durasse aut sæpius iterata esse videretur. Cujus usus unum exstat exemplum Heaut. 987 *dum istis fuisti solus, dum nulla alia delectatio — te indulgebant, tibi dabant*.

3. Postremo de iis locis pauca sunt dicenda, in quibus inveniuntur tempora futura prima, quæ vocantur. Quo usu significatur, quamdiu aliqua actio duratura sit, fore ut alia

¹⁾ Enunciationes, quarum in utroque membro idem tempus invenitur, grammatici germanice appellant «coincidente Sätze» de qua re vide Paul Harre, Hauptregeln der lateinischen Syntax, Berlin 1876, p. 39.

²⁾ A. Spengel: Die Comödien des P. Terentius, Erstes Bändchen, Andria, Berlin 1875, p. 15.

actio per idem temporis spatium ad finem perducatur. Primum afferam exemplum, cujus in primaria enunciatione legitur demonstrativum adverbium, quod temporali particulæ respondet, ut Heaut. 136 *nam usque dum ille vitam illam colet inopem — interea usque — supplicium dabo*, in quo exemplo usque particulam et ante dum conjunctionem et post interea adverbium iterari observandum est; ita vero usque particulam ante dum conjunctionem collocari docet Wagner, quum affert exempla Plaut. Amph. I 2, 10 As. 2, 62, Cato R. R. c. 56. 110. 112 ¹⁾. Exempla autem, in quibus demonstrativum adverbium non legitur, hæc sunt: Heaut. 714 *nam dum amicam hanc meam esse credet, non committet filiam*. Phorm. 585 *tacebit, dum intercedet familiaritas*, Adelph. 118 *dabitur a me argentum, dum erit commodum*, ibid. 157 *numquam, dum ego adero, hic te tanget*.

Adn. Unum exstat exemplum, cujus in demonstrativo membro legitur indicativus præsentis, Heaut. 106 *ego te meum esse dici tantisper volo, dum — facies*, cujus exempli in primaria enunciatione vim quandam futuri inesse ex eo intelligi videtur, quod sententia illa demonstrativi membri aliter exprimi potest his verbis: *tu meus esse diceris*. In quo exemplo observemus adverbium demonstrativum inveniri, quod temporali particulæ respondet. —

B. De dum particula cum conjunctivo sociata.

1. Primum afferenda sunt exempla, in quibus conjunctivi inveniuntur, qui propter orationis structuram usurpantur. Cujus usus duo genera sunt discernenda.

a) In relativo membro conjunctivus adhibetur, quum enuntiatio per dum particulam clata ex alia enunciatione pendet, quæ habet conjunctivum, ut Heaut. 951 *ut dum vivat, meminerit semper mei*, Phorm. 1030 *habet hæc ei quod, dum vivat, usque ad aurem ogganniat*, cujus exempli in demonstrativo membro adverbium legitur, quod temporali particulæ respondet. A quo usu ea dicendi ratio non multum abesse videtur, quum per attractionem modi, quæ vocatur, fit, ut in relativo membro conjunctivus adhibeatur, quia in enunciatione, quæ procedit, ea forma verbi usurpatur, ut Adelph. 681 *ita velim me promerentem ames, dum vivas*, ubi causam conjunctivi Dziatzko recte interpretari videtur, quum docet: »der Modus ist in Übereinstimmung gebracht mit dem des übergeordneten Satzes» ²⁾.

b) In temporali enunciatione, quæ ex oratione obliqua pendet, conjunctivus usurpatur, ut Heaut. 147 *decrevi tantisper me — facere, dum fiam miser*, in quo exemplo invenitur adverbium, quod temporali particulæ respondet.

2. Deinde ad exempla transeamus, in quibus conjunctivus pendet a dum particula atque ab ea regitur, cujus usus unum exstat exemplum Eun. 741 *usque adeo illius ferre possum ineptiam et magnifica verba, verba dum sint*, in quo exemplo adverbium invenitur, quod temporali particulæ respondet. — Si exempla, quæ modo sunt allata, perlegentur, ubique dum particulam cum conjunctivo præsentis conjungi invenies. —

¹⁾ W. Wagner: P. Terenti Hantion Timorumenos, Berlin, 1872, p. 37.

²⁾ C. Dziatzko: Ausgewählte Komödien des P. Terentius Afer, zweites Bändchen: Adelphoe, Leipzig 1881, p. 69.

IV.

Jam transeamus ad eam notionem explicandam, qua per dum particulam duæ actiones conjunguntur atque in relatione ponuntur, e quibus una terminatur, quum altera succedere dicitur. Quo usu indicatur terminum, ad quem aliquid produci dicitur, finem in se habere. Ita vero usurpatam dum particulam sveticæ *till dess*, germanice *bis dass* vertimus, quam significationem Georges germanice interpretatur »Zur Angabe, dass die Handlung des Hauptsatzes dauere bis zum Eintreten der Handlung im Nebensatz«.

A. De dum particula cum indicativo conjuncta.

1. Primum de iis locis dicam, ubi duæ actiones per dum particulam in relatione positæ præsentis tempore evenire dicuntur. Ita vero indicatur unam actionem ad id tempus produci, quo alia actio jam perficitur. Quo usu præsens in utroque membro usurpatur, ut Hec. 417 *aliquo mihi hinc ablegandus, dum parit Philumena*. Heaut. 717 *unus est dies, dum argentum eripio*. Exemplum autem, in quo invenitur verbum *manendi* præcipue dignum esse videtur quod adnotetur, ut Phorm. 737 *maneo, dum hæc quæ loquitur magis cognosco*.

2. Deinde ad exempla veniamus, in quibus duæ actiones per dum particulam in relatione positæ futuro tempore eventuræ esse dicuntur. Ita vero significatur unam actionem ad id tempus productum iri, quo alia actio perficietur. Quo usu in demonstrativo membro invenitur futurum, in relativo autem membro legitur præsens, quæ duo tempora inter se conjungi inusitatissimum esse videtur, quippe quum præsens de futuro tempore adhibeatur. Quorum exemplorum in demonstrativo membro sæpe legitur verbum *expectandi*, ut Eun. 206 *expectabo, dum venit*. Heaut. 833 *tu hic nos, dum eximus, interea opperibere*, cujus exempli in demonstrativo membro adverbium invenitur, quod temporali particulæ respondet.

Adn. 1. Nonnullis locis enunciatio per dum particulam elata ad enunciationes secundarias refertur, quæ habent conjunctivum, in quibus vim quandam futuri inesse satis apparere videtur. Primum afferam exemplum, in quo invenitur verbum *manendi*, Phorm. 512 *nequeo exorare, ut me maneat — dum id quod est promissum ab amicis argentum aufero*. Deinde afferenda sunt duo exempla, in quibus invenitur adverbium, quod temporali particulæ respondet, Eun. 894 *vin interea, dum venit, domi opperiamur*. Adelph. 785 *nisi dum hæc silescent turbæ, interea in angulum aliquo abeam*.

Adn. 2. A quo usu non multum abesse videtur ea dicendi ratio, quum in primaria enunciatione legitur imperativus præsentis, quæ verbi forma et ipsa ad tempus futurum spectat. Cujus usus hæc inveni exempla: Andr. 328 *saltem aliquot dies profer, dum proficiscor aliquo, ne videam*. Phorm. 982 *retine, dum ego huc servos evoco*. Adelph. 196

delibera hoc, dum ego redeo, leno, ubi quæ qualisque sit significatio temporalis particulæ bene docet Dziatzko, quum dicit: »auch in der Bedeutung »bis« steht bei den Komikern häufig der Indikativ, welcher alsdann das Sichere der Handlung bezeichnet»¹⁾. Exemplum autem, in quo invenitur verbum *expectandi*, præcipue dignum esse videtur, quod adnotemus, Andr. 714 *tu, Mysis, dum exeo, parumper opperire hic*, cujus exempli in demonstrativo membro adverbium legitur, quod temporali particulæ respondet.

B. De dum particula cum conjunctivo sociata.

1. Primum de iis exemplis dicendum erit, in quibus duæ actiones per dum particulam in relatione positæ præsentis tempore evenire dicuntur, quum in primaria enunciatione usurpatur præsens. Ita vero significatur unam actionem ad id tempus produci, quo alia actio jam perficitur. In demonstrativo autem membro sæpe legitur verbum *expectandi*, ut Andr. 977 *atque adeo longumst illum me expectare dum exeat*. Nonnumquam fit, ut verbum in primaria enunciatione omittatur ut Heaut. 543 *an dum hinc denuo abeat*, ubi e vocibus quæ præcedunt, verbum *expectat* vel tale quid cogitatione addendum est. — Jam supra dixi dum particulam ea notione, de qua nunc agitur, etiam cum indicativo præsentis conjunctam inveniri. Quid autem inter illas constructiones intersit, docet Madvig, quum dicit: »expectare dum mit dem Conjunctiv entspricht dem deutschen *abwarten, dass* (mit dem Indicativ: *warten, bis*).»²⁾

Adn. Interdum fit, ut enunciatio per dum particulam elata ad enunciationem secundariam referatur, ut Phorm. 770 *ut sit qui vivat, dum aliud aliquid flagiti conficiat*, in quo exemplo causa conjunctivi duplex esse videtur, una, quod a dum particula pendet atque ab ea regitur, altera, quod enunciatum per dum particulam elatum ad secundariam enunciationem refertur, quæ habet conjunctivum, de quo usu supra est dictum.

2. Deinde de iis exemplis dicam, in quibus duæ actiones per dum particulam in relatione positæ futuro tempore eventuræ esse dicuntur. Ita vero significatur unam actionem ad id tempus productum iri, quo alia actio jam perficietur. Cujus usus unum exstat exemplum, ubi legitur conjugatio periphrastica, quæ vocatur, quæ verbi forma e vi et natura sua ad tempus futurum spectat, Phorm. 480 *mansurusque patruom pater est, dum huc adveniat*.

Adn. A quo usu non multum abesse videtur ea dicendi ratio, quum in primaria enunciatione legitur imperativus præsentis, quæ verbi forma ad tempus futurum spectat, ut Eun. 535 *at tu apud nos hic mane, dum redeat ipsa*. Huc autem etiam exemplum referendum est, cujus in primaria enunciatione legitur conjunctivus hortativus, qui et ipse ad tempus futurum spectat, ut Andr. 980 *ne expectetis, dum exeant huc*.

¹⁾ C. Dziatzko: Ausgewählte Komödien des P. Terentius Afer, zweites Bändchen, Adelphoe, Leipzig 1881, p. 35.

²⁾ Madvig, Lateinische Sprachlehre, Braunschweig 1844, p. 322.

3. Postremo ad exempla transeamus, in quibus duæ actiones per dum particulam in relatione positæ tempore præterito evenisse dicuntur, quum in secundaria enunciatione dum particula cum conjunctivo imperfecti jungitur. Ita vero indicatur unam actionem ad id tempus productam esse, quo alia actio jam perficeretur. In demonstrativo autem membro sæpe legitur verbum *expectandi*. Cujus usus duo genera discernenda esse videntur.

a) In primaria enunciatione usurpatur perfectum historicum, ut Adelph. 672 sq. *an sedere oportuit domi virginem tam grandem, dum cognatus hinc illinc veniret, expectantem*.

b) In primaria enunciatione invenitur indicativus imperfecti, ut Phorm. 89 *hic solebamus fere plerumque eam opperiri, dum inde iret domum*.

Adn. Jam supra pauca de exemplis dixi, in quibus inveniuntur adverbia demonstrativa, quæ particulæ temporali respondent. Quum autem tum eam rem diligentius tractare non licuerit, nunc quidem non alienum esse videtur de iis exemplis accuratius dicere atque omnia, quæcunque inveni, hoc loco afferam.

Ab iis exemplis incipiam, in quibus dum particulam sœtice *under det att* interpretamur. Quorum exemplorum in demonstrativo membro omnium primum *interea* adverbium aptum esse videtur, quod conjunctioni temporali respondeat, qualia exempla hæc sunt: Eun. 592, Phorm. 91, Heaut. 242. Nonnumquam autem *interea* adverbio adjungi genetivus *loci*, ut fiat *interea loci*, in qua locutione *locus* pro *tempore* sumi debet, cujus usus duo exstant exempla Eun. 255 *dum hæc loquimur, interea loci — concurrunt læti mi obviam*. Heaut. 257 *dum ego — patria careo — tu interea loci conlocupletasti te*, cujus usus alia exempla affert Stallbaum¹⁾. Deinde in demonstrativo membro *nunc* adverbium conjunctioni temporali respondet, ut Andr. 597.

Ad exempla transeo, in quibus dum particulam sœtice *så länge som* interpretamur. Quorum exemplorum in demonstrativo membro omnium primum *tantisper* adverbium aptum esse videtur, quod conjunctioni temporali respondeat, qualia exempla inveniuntur Adelph. 70, Heaut. 106, ibid 147. Deinde in demonstrativo membro invenitur *usque* adverbium, atque id quidem ita, ut aut solum per se ponatur aut cum aliis adverbiiis jungatur. Ita vero *usque* adverbium solum ponitur Phorm. 1030. Aliis autem locis *usque* particula cum adverbiiis jungitur, qualia sunt *adeo, dudum*. Ita vero *usque* cum *adeo* adverbio conjunctum temporali particulæ respondet Eun. 741 *usque adeo illius ferre possum ineptiam et magnifica verba, verba dum sint*; uno autem loco *usque* particula *dudum* adverbio adjuncta temporali conjunctioni respondet Heaut. 983 *et usque id egi dudum, dum loquitur pater*. Tum in demonstrativo membro *interea* adverbium temporali conjunctioni respondet, cujus usus unum exstat exemplum, atque id quidem præ ceteris dignum, quod adnotemus, quia *usque* particula quasi per pleonasmum et in relativo et in demonstrativo membro ponitur Heaut. 136

¹⁾ P. Terentii Africi Comædiæ, ed. curavit G. Stallbaum, Lips. 1831, vol. II p. 57.

nam usque dum ille vitam illam colet inopem — interea usque illi de me supplicium dabo, in quo exemplo etiam illud animadvertendum esse videtur, quod adverbium illa, quæ inter se respondent, per chiasmum qui vocatur, posita sunt. Denique in demonstrativo membro *nunc* particula conjunctioni temporali respondet Adelph. 107. Postremo exemplum exstat, cujus in demonstrativo membro *tum* adverbium *dum* particulæ respondet Phorm. 549.

Nunc exempla inspiciamus in quibus dum particulam sœtice *till dess* interpretamur. Etiam in iis *interea* adverbium conjunctioni temporali respondet, ut Heaut. 833, Eun. 894, Adelph. 785. Deinde *parumper* adverbium temporali particulæ respondet Andr. 714.

V.

Jam ad postremam hujus conjunctionis notionem describendam transeo. Dum particula, quæ e vi et natura sua temporis terminati rationem exprimit, usurpatur etiam ad conditionem indicandam, qua aliqua sententia vel res coercetur. Ita vero dum particula significat aliquam rem intra quosdam conditionis terminos restringi, vel ut aliter dicam, aliquam rem conditione quadam concedi posse. Quo usu dum particulam sœtice *om blott*, germanice *wenn nur, nur dass* interpretamur.

Qua notione positam dum particulam apud priscos scriptores nonnumquam cum indicativo conjungi posse docet Holtze (l. c. p. 130), cujus usus apud Terentium nullum exemplum invenitur. Neque tamen hoc loco negligenda esse videtur conjectura, quam Dziatzko protulit Adelph. 223, *quasi jam usquam tibi sint viginti minæ, dum huic obsequare*, ubi pro *obsequare* quum alias lectiones protulit tum etiam hanc: *advorsare*, quam lectionem ea causa probandam esse censet, quod existimat dum particulam ea notione cum indicativo conjungi posse, id quod docet, quum dicit (p. 37): »da der Indikativ ganz gut stehen kann, das Thatsächliche bezeichnend«.

Aliis autem locis dum particula apud Terentium cum conjunctivo conjungitur, atque id quidem ita, ut semper conjunctivo præsens adjungatur. Primum quidem exempla afferam, quorum in demonstrativo membro legitur indicativus præsens, ut Andr. 675 sq. *ego — debeo — capitis periculum adire, dum prosim tibi*. ibid. 825 *dum id efficias quod cupis neque modum benignitatis neque quid me ores cogitas*. Heaut. 715 *tu fors quid me fiat parvi*

pendis, dum illi consulas. Semel autem fit, ut verbum non solum in primaria, sed etiam in secundaria enunciatione omittatur, ut Phorm. 526 *minime, dum ob rem*, quod per breviloquentiam dictum est pro *minime me pudet, dum ob rem sit*. Deinde afferendum est exemplum, cujus in demonstrativo membro legitur conjunctivus præsens, ut Adelph. 313 *satis mihi id habeam supplici, dum illos ulciscar meo modo*, ubi Fleckeisen metri causa ante *modo* ablativum *meo* pronomen legendum esse censet; aliter autem hunc locum emendandum esse putat Dziatzko, de qua re dixit l. c. p. 102. Uno autem loco enuntiatio per *dum* particulam elata ad enunciationem comparativam refertur Adelph. 223 *quasi jam usquam tibi sint viginti minæ, dum huic obsequare*, de quo loco emendando cfr quæ dicit Dziatzko (p. 100).

Adn. 1. Nonnumquam fit, ut sententia per *dum* particulam elata plenius exprimi possit addito vocabulo *modo* ita, ut aut e duabus voculis existat unum verbum *dummodo* aut illæ voculæ aliis verbis interpositis per tmesin separatim *dum — modo* ponantur. In tribus exemplis, quæ apud Terentium inveniuntur, semper illæ voculæ per tmesin separatim collocantur, ut Eun. 320 *mea nil re fert, dum potiar modo*. Heaut. 465 *decretum est pati, dum illum modo habeam mecum*. ibid. 641 *quidvis satis est, dum vivat modo*. Uno autem loco *dum* particula omissa *modo* conjunctio sola ponitur Eun. 889 *volet — civis modo hæc sit*. Quorum exemplorum in demonstrativo membro ubique verbum in indicativo positum invenitur.

Adn. 2. Hoc loco non alienum erit animadvertere, si negatio apponitur, hanc semper esse *ne*. Qua negatione addita significatur aliquam sententiam ultra quendam terminum extendi non posse. Cujus usus duo exstant exempla. Primum quidem afferam exemplum, cujus in primaria enunciatione legitur indicativus præsens Andr. 902 *quidvis cupio, dum ne ab hoc me falli comperiar*. Deinde exemplum afferendum est, cujus in demonstrativo membro legitur conjunctivus concessivus Hec. 634 *dum ne reducam: turbent porro quam velint*.

DONEC.

Primum de ea notione commonendum est, qua duæ actiones per donec particulam conjunguntur atque in relatione ita ponuntur, ut quamdiu altera actio ad finem perducatur, per idem temporis spatium altera actio durare dicatur. Ita vero usurpatam donec particulam suetice *så länge som*, germanice *so lange als* interpretamur, cujus usus tamen apud Terentium nulla exempla inveniuntur.

Deinde de ea notione dicendum erit, qua quæ actiones per donec particulam conjunguntur atque in relatione ponuntur, e quibus una terminatur, quum altera succedere dicitur. Quo usu indicatur terminum, ad quem aliquid produci dicitur, finem in se habere. Ita vero usurpatam donec particulam suetice *till dess*, germanice *bis dass* interpretamur.

Primum de iis exemplis pauca dicam, in quibus duæ actiones per donec particulam in relatione positæ tempore præterito evenisse dicuntur. Quo usu significatur unam actionem ad id tempus productam esse, quo alia actio jam perfecta sit. Cujus usus duo genera sunt discernenda.

Una est dicendi ratio, quum in utroque membro legitur perfectum historicum. Ita vero significatur unam actionem eodem temporis puncto terminatam esse quo altera jam ad finem perducta sit, cujus usus unum exstat exemplum Hec. 125 sq. *usque illud visumst Pamphilo ne utiquam grave, donec jam in ipsis nuptiis — ibi demum ita ægre tulit*. Cujus exempli cur in utroque membro eadem tempora adhibeantur, ex eo intelligi potest, quod actio non solum primariæ, sed etiam secundariæ enunciationis pæne ejusdem momenti et ponderis esse videtur.

Altera autem est dicendi ratio, quum in altero membro inveniuntur relativa, quæ vocantur, tempora præterita. Cujus usus unum exstat exemplum, cujus in primaria enunciatione legitur infinitivus historicus, quæ verbi forma eandem vim ac notionem habet atque indicativus imperfecti, Andr. 662 *suadere, orare usque adeo, donec perpulit*, quo usu significatur unam actionem etiam tum infectam fuisse, quum altera ad finem perducta sit. Quem locum quamquam ita accipiendum esse Spengel (l. c. p. 102) censet, tamen alia interpretatio probari posse videtur. Nam quum infinitivi illi ad verbum, quod præcedit (*destitit*), referri possint, nihil impedire videtur, quominus hoc exemplum eodem modo accipiatur quo illud, quod mox supra attuli.

Deinde de iis exemplis dicam, in quibus duæ actiones per donec particulam in relatione positæ futuro tempore eventuræ esse dicuntur. Cujus usus duo genera sunt discernenda.

Una vero est dicendi ratio, quum in utroque membro legitur futurum primum. Ita

vero significatur unam actionem ad id tempus productum iri, quo alia actio perficiatur. Cujus usus afferam celeberrimum illud exemplum, quod invenitur Verg. En. I 273 sq. *hic jam ter centum totos regnabitur annos gente sub Hectorea, donec regina sacerdos, Marte gravis, geminam partu dabit Ilia prolem*, qualia exempla tamen apud Terentium non inveniuntur.

Altera autem est dicendi ratio, quum in demonstrativo membro futurum primum. in relativo membro legitur futurum exactum. Ita vero indicatur unam actionem ad id tempus productum iri, quo alia actio jam perfecta sit. Cujus usus duo exempla inveniuntur Phorm. 419 *immò haud desinam, donec perfecero hoc*. ibid. 589 *neque defetiscar usque adeo experier, donec tibi id quod pollicitus sum effecero*. A quo usu ea dicendi ratio non multum abesse videtur, quum in demonstrativo membro legitur indicativus præsens, quæ verbi forma quasi quandam notionem futuri interdum habere videtur, ut Adelph. 717 *nunc vero domi certum obsidere est usque, donec redierit*.

Adn. 1. Nemo ignorat donec particulam ea notione, de qua nunc agitur, nonnumquam cum conjunctivo conjungi posse ita, ut significet aliquem consilio aliquid facere, qualia exempla tamen apud Terentium non inveniuntur.

Adn. 2. Jam supra, quum in dum particula tractanda versarer, demonstravi in primaria enunciatione non raro adverbia inveniri, quæ conjunctioni temporali responderent. Ita vero esse etiam in iis exemplis, in quibus donec particula invenitur, ex iis, quæ supra attuli, facile apparet, obeamque rem nunc de hac re pauca addam. In demonstrativo membro *usque* adverbium conjunctioni temporali respondet Hec. 125, Adelph. 717. Interdum autem cum *usque* adverbio conjungitur *adeo* particula ita, ut *usque adeo* voculæ uno eodemque loco ponantur Phorm. 589, Andr. 662.

QUOAD.

Quoad particulam eodem fere modo ac donec conjunctionem usurpari nemo non cognitum habet. Primum quidem duæ actiones per quoad particulam conjunguntur ita, ut quamdiu altera actio ad finem perducatur, per idem temporis spatium altera actio durare dicatur, Ita vero usurpatam quoad particulam suetice *så länge som*, germanice *so lange als* interpretamur. Deinde duæ actiones per quoad particulam in relatione ponuntur, e quibus una terminatur, quum altera succedere dicitur. Ita autem usurpatam quoad particulam suetice *till dess*, germanice *bis dass* vertimus. Quarum notionum tamen apud Terentium nulla inveniuntur exempla.

Tamen apud Terentium particula illa invenitur atque habet notionem, e qua illæ notiones fortasse sunt ortæ. Nam quoad particula vice fungitur *adverbii interrogativi*. Ita vero usurpatam quoad particulam germanice *bis wann* interpretamur, sive in rectis sive in obliquis interrogationibus est posita, cujus usus duo exempla inveniuntur. Primum quidem afferam exemplum, ubi quoad adverbium in recta interrogatione ponitur, ut Phorm. 147 *senem quoad expectatis vestrum?* Deinde afferendum est exemplum, ubi quoad adverbium in obliqua interrogatione legitur, ut Phorm. 462 *percontatum ibo ad portum, quoad se recipiat*.


Adn. Quoad particulam vice *adverbii relativi* fungi ex exemplo apparet, quod invenitur Plaut. Pseud. 628 *argento hæc dies præstitutast, quoad referres nobis*, ubi quoad est adverbium relativum. Eadem fere sententia etiam apud Terentium invenitur, sed ea quidem aliter expressa ita, ut pro quoad adverbio pronomen relativum cum *ad* præpositione conjunctum adhibeatur, ut Phorm. 523 *ego si satis commemini, tibi quidemst olim dies, quam ad dares huic præstituta*.



www.libtool.com.cn

www.libtool.com.cn

www.libtool.com.cn



www.libtool.com.cn

